

oculis eorum absterget,¹⁵⁹ verum etiam in glorificatione ecclesiae post resurrectionem mortuorum ostendet palam, quod martyres Christi fuerint, stolas suas in sanguine agni lauerint atque ita vt canit ecclesia laetabuntur cum Christo sine fine.¹⁶⁰ Agmen vero ho-[50:]rum ita creuit, vt in ipsorum castris nec pauciores nec etiam magis congruentes inter sese gentes militent, quam 5 in exercitu Troiano, quem Poëta ait sustulisse clangorem simile in gruibus, quando ad littus oceani conuolant, vt inuadant et confodiant Pygmaeos.¹⁶¹ Etsi autem, vt quidem semper oratio incongruens sibi non constat, valde dissimiles inter ipsos sunt sententiae, tamen praecipuas, et eas quidem eruditiorum recensebimus. 10

Non dubium est plerosque ex vulgo cogitantes de his certaminibus, haerere in opinionibus similibus pontificiis et respicere primo et principaliter ad symbola, cum quibus arbitrantur coniunctam esse substantiam essentialis corporis Christi, ex qua postea opinione extruuntur et stabiliuntur profanationes deplorandae, quas vbi saniores, quamuis modeste indicant et reprehendunt, 15 populus ab oratoribus partis aduersae ita saeuitiam inflammatur, vt tales indignos, qui vitali aura fruuntur, existimet. Iam vero quidam ex illis, qui optimarum videri volunt partium, incogitanter de diuinis his mysteriis loquuntur, vt ab idolomania pontificia nomine non re discedant. Manifeste vniunt corpus cum pane, docent sacerdotem pronuntiatione verborum facere 20 mutationem panis et quidem acerbe regulam de vsu traducunt, disputant de tempore durationis, iubent facere adorationem, particulas reliquas colligunt et comburunt. Extant haec in scriptis nostrorum concionatorum, ita vt inficiari nemo possit, et quidem celebrioribus similes saepe excidunt locutiones, sicut quidam scripsit esse Christum sub hostia et quidem sub hostia valde 25 parua. Plurimi etiam illorum execrandam πανταχουσίαν vel – vt rem prodigiosam prodigioso nomine nuncupant – vbiquitatem ita seuerè ab antiquitate reiectam et explosam, vt modos suae imaginariae praesentiae excusare possint, reuocant. Sed nos, ne delectari videamur refutatione eorum, quae plane monstrosa sunt, recitabimus sententiam eorum, qui omnium commodissime 30 sentire videntur. [51:] Principio dicunt se inniti simplici sensu verborum Christi, non quaerere sese interpretationes tropicas et philosophicas blandientes rationi humanae, sed domare suum intellectum in piam captiuitatem Christi. Dixit Christus: „Hoc est corpus meum.“¹⁶² „Non igitur dubitabimus“, inquit, „vere adesse hoc corpus, quod assumptum est de virgine, quod pe- 35 pendit in cruce, quod resurrexit.“ Postea adduntur graues et saeueræ obiur-

¹⁵⁹ Vgl. Apk 21,4.

¹⁶⁰ Vgl. Apk 7,14.

¹⁶¹ Vgl. Homer, Ilias III, 5f., in: van Thiel, Ilias, 48.

¹⁶² Curaeus wendet sich hier und im Folgenden gegen die 1562 erschienene Schrift des Tilemann Heshusius: *VERAE ET SANAE CONFESSIO DE PRAESENTIA CORPORIS CHRISTI, IN COENA Domini, pia defensio aduersus cauillos & calumnias*, I. Iohannis Caluini. II. Petri Boquini. III. Theodori Bezae. IIII. Vvillhelmi Cleinvvitzij. [...], Magdeburg 1562 (VD 16 H 3155). Vgl. hierzu Krüger, *Empfangene Allmacht*, 175–179.